


**Disquisitionis Theologicae, Ideam Generalem Unicae Verae Religionis Ex Scriptura Sacra, Et Specialiter Ex Rom. XII., 1. 2. Evolventis, Sectionem Exegeticam Posterioris Versus Dicti Paulini Principia Formandae Ideae Generalis Constituentem ...**

Rostochii: Röse, 1755

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn840807554>

Druck Freier  Zugang





a. B.  
48. b. 31.

55

428

Fa 1092 (55.)

1. Nakhmacher, de discrimine inter preparationem euangelicam et euangelii demonstrationem
2. Braun, de iure Margal nunciis insignis Colubius nunciis iussu, Sign. D. h. v. m.
3. Jacobi Anthropomorphismus a vera notione immensitatis, sapientiae, libertatis, atque aeternitatis diuinae remotus.
4. Lange, religiosam natalis Domini celebrationem.
5. Triller, de vino modico hypochondriacis salutaris ad sacrum locum Thimoth. 5. 23.
6. Quistorp, de adoptione ecclesiastica veteris Testamenti.
7. Carpow, de regis Iesiae Prophetiae natalibus.
8. Hartmann, argumenta, de satisfactione Christi, pro impenitentia finali praestita, negantia.
9. Hartmann, ideam generalem unice verae religionis ex scriptura sacra, et specialiter ex Rom. 12., 1. 2. euoluentis etc.
10. Hartmann, ideam generalem unice verae religionis ex scriptura sacra, et specialiter ex Rom. 12., 1. 2. euoluentis sectionem exegeticam posteriorem etc.
11. Hartmann, argumenta, de satisfactione Christi, pro impenitentia finali praestita, negantia.
12. Hartmann, de satisfactione Christi, pro impenitentia finali praestita.
13. Prier, de officiis Christi nonnulla momenta generalia sistens.
14. Stepinus, de directorio corporis euangelicorum.
15. Prier, de Prophetis et apostolis salua inspiratione diuina.
16. Stepinus, demonstratio existentia diuina ex scriptura sacra.
17. Carpow, de verbis Davidis, maledicentiam simeiticam concernentibus: 777 777 777 א' הוה 2 Sam. 16. 10.
18. Halman, de 5ε γαρ εἰ ἀκανθών. corona de spinis. Matth. 27. 29.
19. Halman, de 5ε γαρ εἰ ἀκανθών. corona de spinis. Matth. 27. 29.
20. Quistorp, de peccato originis.

2.  
3.  
4.  
5.  
6.  
7.  
8.  
9.  
10.  
11.  
12.  
13.  
14.

- 21., Quistorp, de fide Dei opere, Joann. 6. 29.
- 22., de Marie, de explicatione Joann. 14. 23.
- 23., Hartmann, de Jesu Nazareno vero Messia.
- 24., Mangel, de significatione vocis Susdaimonia in Novo Testamen-  
to ad illustranda loca Oct. 17. 22. c. 25. 19.
- 25., Pries, de non consumatis partibus Veteris Testamenti ex Epist.  
ad Hebr. 11. 39. 40.
- 26., Sasse, de Christo, et sacerdote et victima in omnium salutem.
- 27., Raempfer, de modo praedicationis paulinae. 1 Cor. 2. 4. 5.
- 28., Quistorp, de Judaeis corde compunctis. Oct. 2. 37.
- 29., Carpon, de Jonae visionibus etc.
- 30., Hartmann de vaticinio Simeonis. Luc. 2. 34. 35.
- 31., Riederer, Ein überaus seltsam Reformationswunder.
- 32., Riederer, Anhang zu dem Reformationswunder.
- 33., Engel, de rationibus consequentiae immediae.
- 34., Mayohl, de angelorum corpore proprio.
- 35., de dono Spiritus Sancti. etc.
- 36., Vittenzwey, anti-blanchiana.
- 37., Heinius, de auctore et causa stragis Aegyptiorum tempore Ege-  
chiae Judaeorum regis ad Illustrationem Jesaiae c. 37. 36.
- 38., Reuß, de gratia Spiritus Sancti applicatae in genere.
- 39., Nahmmacher, de introductione in septem epistolas catholicas  
lectio tertia.

DISQUISITIONIS THEOLOGICAE,  
**IDEAM GENERALEM  
VNICAE VERAE RELIGIONIS**  
EX SCRIPTVRA SACRA,

ET SPECIALITER  
EX ROM. XII, 1. 2. EVOLVENTIS,  
SECTIONEM EXEGETICAM POSTERIOREM,  
PER EXEGESIN POSTERIORIS VERSVS DICTI PAVLINI  
PRINCIPIA  
FORMANDAE IDEAE GENERALIS CONSTITVENTEM,

---

DEO CLEMENTISSIME FORTVNANTE,  
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO  
**DOMINO FRIDERICO,**  
DVCE ET PRINCIPE HAEREDITARIO MECKLENBVRGICO,  
PRINCIPE VANDALORVM, SVERINI AC RACEBVRGI, COMITE ITEM  
SVERINENSI, TERRARVM ROSTOCHII ET  
STARGARDIAE DYNASTA,  
PRINCIPE ET DOMINO NOSTRO LONGE CLEMENTISSIMO,

---

CONSENTIENTE FACVLTA TE THEOLOGICA,  
IN ACADEMIA ROSTOCHIENSI  
DIE XVII IANVAR. MDCCLV. H. L. Q. C.  
PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI SVBJICIET

PRAESES  
**IOACHIM HARTMANN,**  
PHIL. ET S. S. THEOL DOCTOR HVVSQVE P. P. DVCALIS ORDINARIVS,  
SEREN. PRINCIPI REGNANTI MECKLENBVRGICO A CONSIL. ECCLES.  
ET DIOECESEOS MECKL. SVPERINTENDENS,

ET  
RESPONDENS  
**IOH. FRIDERICVS CASIMIRVS ROSENBERGER**

NEO-AVZA CVRONVS, F. S. TH. STVD.

ROSTOCHII, TYPIS RÖSENIANIS.





I. N. S. S. I. C. A.

# DISQVIVISIONIS THEOLOGICAE

AD ROM. XII. I. 2.

## SECTIO EXEGETICA POSTERIOR.

### INGRESSVS.



ro formanda Veræ & Vnicæ Religionis idea principia quædam exhibuimus *Sectione Exegetica Priori*, qua versum *primum Capitulum duodecimum* Epistolæ Pauli ad Romanos explicavimus. Sententiam effati illius divini adeo deprehendimus foecundam, ut jam sufficientes forsan, pro fine nostro, Religionis Veræ & Vnicæ characteres inde derivare possimus. Verum, cum, quæ indivulso nexu cum isto Paulino Dicto juncta sunt versu secundo, plura exhibeant ad Veræ & Vnicæ Religionis ideam spectantia, & fini nostro egregie interservientia, operæ pretium duximus, etiam illa, et peculiari quidem hac tractatione ponderare. Tenebimus etiam hic eum ordinem, quem *Sectione Priori* custodivimus, atque primo de Variantibus *Lectiõibus* pauca præmonēbimus, deinde, verborum suppediābimus explicationes, ex iisdemque determinābimus & pronūciābimus Divi Apostoli sententiam.

### §. I.

Quantum ad *Variantes Lectiões* attinet, plurimas circa hunc versum recensuit MILLIUS. Earum aliquæ ita comparatæ sunt, ut ullam attentionem vix mereantur. Aliquæ, quamvis speciem

A 2

præ

23  
27  
26  
25  
24  
22  
21  
20  
19. 28  
18. 29  
17.  
12. 16.  
13.  
14.

præ se ferant, communiiori tamen lectioni facile postponendæ sunt. Omnes vero ejus sunt conditionis, ut ipsius dicti sensum non magnopere mutant. Ad variantes lectiones minus notabiles refero, quod in quibusdam exemplaribus, sc. in *Codice Alexandrino* atque apud *Clementem Alexandrinum*, in *Codice Claromontano*, in *Epistolis Paulinis Bibliotheca Bodlejana*, codice a *D. Thoma Roe* donato. 2. ad vocem *voûs* deest pronomen *ὑμῶν*. Eodemque forsân etiam pertinet, quod in *Codice citato Bodlejano*, in *Claromontano*, atque *Latina Versione* ommissa est, quæ versum hunc inchoat et cum primo connectit, conjunctio *καί*. Quod enim ad priorem harum lectionum attinet, si ve expresse ponatur vox *ὑμῶν*, si ve minus, non magnopere mutabitur sensus, cum ex ideis connexis facile judicetur, de ipsorum, quos hortatur Apostolus, mentis innovatione sermonem esse. Interim id ipsum quoque vindicat ejus vocis lectionem. Cum enim suppleatur eadem ex sensu, quin recte legatur, dubitari nequit. Sic enim expresse etiam transformatio, mentisque innovatio, ad ipsos, quos admonet Paulus, refertur: atque dum ipsorum eorum individuorum, quæ sacrificium semet sistant Deo gratum acceptumque, nuncupatur mentis innovatio, eo ipso simul significatur, frustra provocari ab eo, qui propriam renovatam non gerit mentem, ad quamvis sibi competentem ad alios fideles relationem: quam et ipsam provocationem et relationem alibi Spiritus Divinus, ut inanem, omnique, in questione de salute hominum, valore destitutam, rejecit, *Matth. III, 9. Joh. VIII, 39. Joh. I, 13.* Unde, quin in nostro loco ea, quæ vocem *ὑμῶν* retinet, lectio pro originali habenda sit, dubium nobis superest nullum. De illa, quæ particulam *καί*, initio versus ponendam, respicit, lectione altera, ex iis, quæ de reliquis circa verba *συναγματίζεσθε* et *μεταμορφώσθε* occurrentibus variantibus lectionibus mox dicentur, facile ferri judicium poterit.

§. 2.

§. 2. Nimirum, recensente eodem MILLIO, loco verborum *σχηματίζεσθε* et *μεταμορφώσθε* Codices Stephani *Ϛ* et *ια*, Codex Alexandrinus, Exempl. Msc. Johannis Covelli, iidemque Exempl. quod habetur in Collegio Lincolnensi, et Berner, legunt infinitivum ejusdem conjugationis. Et ea quidem lectio, si initio ver- sus simul adhibeatur particula connectendi *καί*, magnopere, fa- teor, primo intuitu arridebat, consideranti, quod minus mu- tatum sic haberetur dicendi genus, cum connectuntur *παρακα- λῶ* - - *παραστήται* - - *καί μή σχηματίζεσθαι* - - *ἀλλά μετα- μορφώσθαι* - - , quam si post obsecrationem & infinitivum, ad- hibita particula connectendi *καί*, poneretur imperativus. Imo videri poterat, in mutatione sermonis, et adhibito versu 2. im- perativo, etiam rectissime abesse posse particulam copulativam, cum recte omnia se habere videantur, si legatur: *παρακαλῶ* - - *παραστήσαι* - - *λατρίαν*. *Μή σχηματίζεσθε* &c. ut genui- na videatur esse lectio Codicis Bodlejani citati & Claromontani La- tini. Ast cogitanti novitatem Codicis Bodlejani citati, quam ex notis ejus marginalibus ex Cyrillo, Gemasio, imo Oecumenio quoque excerptis, non obstante ejus cum Codice Alexandrino a MILLIO laudata convenientia, judicare licet: *reputanti*, ver- sionem latinam Claromontanam non suppetere ad Authentici il- lius lectionis probationem: *pensitanti*, quod plurima proferant pro usu particulae connectendi, etiam in similiter mutato di- cendi genere, textus sacri exempla; Authentica illius particulae connectendi *καί*, quam vetustiora habent exemplaria, in du- bium vocari non posse videbatur. Quantum vero ad infiniti- vum spectat in duobus verbis loco imperativi positum, praeter superiora adhuc me movebant Codicis Alexandrini antiquitas & laudes, quas satis exponere non possunt MILLIUS Prolegom. N. T. p. 142. Ed. Oxon. ann. 1707. BENGELIUS App. Critico §. XXXII. Obs. VI. X. ipseque MICHAELIS in der Einleitung in die göttl. Schriften des Neuen Bundes, p. 68. §. 22 sq. quæ-  
A 5 que

23  
27  
26  
25  
24  
23  
22  
21  
20  
19  
18  
17  
16  
15  
14

que non omnino videntur per ea infringi aut tolli, quæ cæteroquin non pauca, nec exigua, vel nullius momenti, in contrarium monuit JOHANNES JACOBUS WETSTENIUS *Prolegom. Novi Testamenti* editioni suæ, quæ prodiit Amstelodami Anno M D CC LI, præmissis. Ast, cum nec Syriaca versio eidem lectioni respondeat, nec Latina; quamvis ordo verborum analogiæ grammaticæ non repugnet, imo placere quoque alicui possit, non audemus pro eadem pronunciare, qui facile cum S. R. BENGLIO sentimus, cum *Apparatu Critico* p. 400. *Obs. XVI. XVII*, ex consensu demum Alexandrini Codicis et Latine versionis antiquissima lectionis iudicium firmari posse, adstruit, & eo etiam posito omnem tamen jam haberi a navis securitatem negat. Reliquorum Codicum superius citatorum, infinitivum legitimum, minor longe est, ea, qua Alexandrinus gaudet, auctoritas, ut, specialiter hic quidquam de iisdem addere, non videatur opus esse. Præferimus ergo lectionem communiorem, & quin ea pro authentica habenda sit, tanto minus dubitamus, quanto magis, eandem sermonis mutationem genio linguæ Originalis nullo modo repugnare, aliunde satis constat. Nec tamen facere possum, quin observem, quæcunque demum placeat lectio, in sensu divino nihil quidquam mutari, ut hinc tanto liberius in communiore lectione acquiescere possimus.

§. 3.

Illius, quæ circa ultimum versus nostri comma obvenit, variantis lectionis, ubi aliqui Codices, citante MILLIO *l. c.*, post vocem *ἰμᾶς* legunt τὰ διαφύρα, non meminimus. Namque nimis evidens est, ex *Phil. I, 10*, desumpta hæc verba in aliquos codices irrepsisse, quæ neque per sensus integritatem, neque per ejus perspicuitatem requiruntur, neque posita quidquam magis illustrent, cum distinctissime, quaenam optima sint, characteribus uberrimis et foecundissimis, verbis textus sequentibus expressis, indigiterur.

§. 4.

§. 4.

Progredimur nunc ad ipsarum, quibus eximium hoc nostrum oraculum divinum componitur, *vocum*, et sententiae Apostoli explicationem. Nimirum, cum ulterius Divus Apostolus, quomodo illa, quam versu primo inculcaverat, perficienda sit *παράστασις*, declarat, eam explicationem partim *negative*, partim *positive*, proponit, simulque beatissimum, ad quem tendat ea fidelium instructio, finem efficacissime pingit atque vividissime. Ejus rationis, qua illa *παράστασις*, ea constitutio in sacrificium Deo placens, cultusque ille divinus, de quibus loquutus erat versu primo, perfici debeat, *descriptionem negativam* exhibent verba proxima, καὶ μὴ συζηματίζεσθε τῷ αἰῶνι τῆς γῆς, in quibus nihil omnino difficultatis parere poterit verbi *συζηματίζεσθε* significatus omnium planissimus, cum, quotiescunque occurrit iste terminus, semper eandem *conformationis* gerat ideam.

§. 5.

Vir Celeberrimus S. R. GE. LUD. OEDERUS *Conjecturarum, de difficilioribus S. S. locis, Centuria, num. 52. p. 231.* versum hunc *secundum* ex ritibus Veterum Hebræorum æque explicandum esse judicat atque versum primum, idemque nemini hactenus, quod sciat, interpretum in mentem venisse, dicit: atque eo supposito in explicatione hujus termini ad vestem sacram sacerdotum respici debere affirmat. Quemadmodum vero, quoad prius, Vir S. R. OEDERUS non est primus, cui ea mens sedit, sed GROTIUS etiam metaphoram a sacrificiis versu primo desumptam hic adplicandam credidit (Vid. *Crit. Angl. ad b. l.*): sic, quoad posterius, diffitendum non est, nihil quidquam majoris lucis huic termino, aut integræ sententiæ, addi, cum, quod placuit Viro S. R., ad vestem sacram sacerdotum respicitur, qua indui debuerunt, cum sacra Deo facerent, quod a sacerdotibus spiritualibus *non postulet Deus*. Nec unquam probari posse viderur, ejusmodi ideam specialissimam quandam huic termino in *Scriptura Sacra* tribui, cum præter nostrum locum semel

tantum.

rantummodo legatur 1 Per. I, 14. ubi iste ad sacerdotum vestes habendus respectus omnino locum habere nequit. Et quod ad presentem nostrum locum attinet, quamvis facile admittatur, versu antecedenti ad sacrificia Judaeorum respici, inde tamen, etiam hic ad vestes sacerdotum respectum haberi, perquam difficulter et coacte interretur. Subsistimus ergo in *conformationis* generalli *idea*, quam usus et vulgaris et Biblicus huic termino vindicat, quemadmodum videre est ex BASILEENSIBUS, SCAPULA, LEIGHIO, et STOCKIO ad hanc vocem.

§. 6.

Nec in eo haeremus, an reciproca an passiva in explicando hoc termino preferenda sit significatio. Cum enim de fidelibus sermo sit, utraque interpretatio facile locum invenit. Operatur in ipsis continuo divina gratia, et producit voluntatem a mundo et operibus seculi recedendi, et pios, ne seculo conformentur, conservat, et ipsi fideles, cum in renovatione gratiae cooperentur, illam voluntatem actu demonstrando, per gratiam in regeneratione et renovatione jam acceptam, seculo se non conformant, unde, quod utraque sententia recte applicari possit, satis intelligitur. Interim, si ex utraque una eligenda esset, passivam explanationem preferendam esse vel ex eo judicari potest, quia in textu Originali habetur ipsum passivum. Praeterea vero illa significatio minus restrictam sinit Pauli sententiam, quam reciproca: et vero restrictionem neque scopus Apostoli, neque rei, de qua sermo est, natura, necessario requirit. Nimirum reciproca termini interpretatio actionem ejus ponit, cui mutatio tribuitur, et si quam nuncupat passionem, eam tamen ad ipsum subjectum, in quo est, tanquam causam efficientem, refert, quamvis alius causae actum praevium, per quem agens ad operandum excitabatur, et in cujus relatione passive se habebat, non simpliciter excludat. Passiva e contrario significatio mutationem enunciat, et an ex propria subjecti, quod mutatur, an ex aliena determinatione repetenda sit, non determinat. Utrumque ergo, cum mutatio prohibetur,

tur,

tur, simul interdicatur, ne propriis nostris, et ne aliunde nobis suggestis determinationibus ad conformationem cum seculo nos perducipatiamur, ne subortis in nobis ipsis ad seculi conformationem cupiditatibus obediamus, et ne motivis extrinsecus suppeditatis ad similes, cum improbis, mores nos adduci patiamur. Interim diffitendum non est, *reciprocam* significationem ea etiam omnia in *sententia prohibitiva* complecti, si non *immediate* et per se, *mediate* tamen, et cum, ut in hoc exemplo, seductio externa ad conformationem cum seculo supponi potest, quam in hoc seculo, fidelibus inter infideles vitam agentibus, recte supponi, aliunde satis patet. Quare, ut de vocibus hic ullæ moveantur lites, nulla et ne minima quidem habetur ratio: sed utraque significatio optime locum habere, et altera conjungi cum altera potest.

§. 7.

Nuncupatur, cui conformandi non sunt fideles, veram religionem tenentes, *στοις αϊων*. Atque sine ullo labore quisque intelligit, per terminum eum hic indigitari homines seculares, mundanos, seculi corrupti voluptatibus inhiantes, quibus quippe nullo se modo similes præstare debent fideles. Quod si itaque, de statu ipso *interno* malo, et *externis* quoque pravis actionibus, improborum, explicare terminum placeat, omnino recte fieri arbitror, cum et usui biblico iste significatus termini non repugnet, et eadem semper admonitionis Paulinæ maneat sententia. Unde utramque significationem merito conjunxit FESSELIUS *Adversariorum Sacrorum* p. m. 203.

§. 8.

Ita communiora et evidentia sua se commendantia magis arrident, quam ut conjecturis S. R. GE. LUD. OEDERI *l. c.* calculum possimus adjicere. Is enim totus in eo est, ut sibi aliisque persvadeat, per *τὸν αἰῶνα τῆσθον* non intelligi quodvis, sed solum, quod tum, cum Apostolus scriberet, fuit seculum. Atque 1) quidem hoc, si non probare, saltem illustrare vult ex dicto Paulino Eph. II, 2. ubi eadem vox occurrit, et 2) sententiam, Apostoli

B

con-

„constituit esse eam, „quod non debeant Romani pro infelicitatis parte  
 „reputare, quod longe ab Hierosolymis distantes carere debeant crebriori  
 „ibi, observato cultu Levitico, qui Hierosolymis adhuc viguisset  
 „ea aetate, sacra faciendi facultate, potius sua corpora, ut gratissimas  
 „Deo hostias offerant, neque seculo, quod tum esset, moribusque adeo  
 „sacerdotum se conforment, qui summa quidem cura animalia offerenda  
 „perscrutari soleant, ne quid occulti vitii lateat, at, de sua impietate  
 „sint maxime incuriosi. Ea vero omnia ita comparata sunt, ut no-  
 „strum, et, arbitramur, ullius consensum elicere non possint. Ma-  
 „xime profecto mirandum est, qui Vir eruditissimus ex Eph.  
 II, 2. probari posse sibi persuadere queat, per τὸν αἰῶνα τῆτο  
 intelligi a) Apostoli aetatem; et b) quidem habito respectu ad mo-  
 rem sacra faciendi Hierosolymis adhuc, ex cultu Levitico, ser-  
 vatum. Numquid enim, quantum ad a) attinet, sola tempora  
 Apostolorum tam corruptos aluerunt mores, ut de solis illorum  
 temporum et non etiam de omnibus cujusvis mundi temporis  
 improbis et hominibus naturalibus dicendum sit, quod in pec-  
 catis ambulent, quod ad voluntatem Diaboli actiones dirigant,  
 quod Eph. II, 2. dicitur? et quantum ad b) spectat, num  
 ad cultum Leviticum Hierosolymitanum respexisse Apostolus  
 dicendus est, qui per ὑμεῖς versu primo Ephesios et per ἡμεῖς  
 πάντες versu tertio se ipsum cum aliis omnibus nuncupat, et  
 qua ratione in statu, quem ante conversionem habuerant, com-  
 parati fuerint, describit? Nemini profecto legentium ea restri-  
 cta terminorum κατὰ τὸν αἰῶνα τῆ κόσμου τῆτο significatio in  
 mentem, nisi praëjudicatis opinionibus occupatam, venire potest.  
 Potius ergo eos sequimur interpretes, quos, cum BALDUINO, tan-  
 quam eos, qui sancta quidem pulchraque (per sarcasmum uti vi-  
 detur) sed connexioni cum versu primo, et verae significationi vocum  
 αἰῶνα τῆτο parum respondentia protulerint, Vir perspicax in-  
 terpres traducit, qui per τὸν αἰῶνα τῆτο intelligunt pravam ho-  
 minum colluviem eorumque inquinatos mores cujusvis temporis, a qui-  
 bus sejunctissimos esse oportet pios et veros Christianos, 2 Tm.  
 II, 21, 1 Joh II, 15. Potius sequimur FESSELIUM, qui l. c.

p. 203. 204. majori jure observavit, quod *mundus*, qua *corruptus et a Deo averfus*, dicatur in Scriptura *ἄγιος αἰὼν, ὁ πρὸν αἰὼν, ἢ ἀνεστῶς αἰὼν, αἰὼν τῆς κρίσεως τῆς γῆς*. Et quantum ad connexionem cum versu primo attinet, satis arcte connectuntur dicta versu secundo cum versu primo, adhibita illa generaliori *αἰὼν: τῆς γῆς* notione, cum, qui victima Deo sancta, et accepta esse, Deoque *λατρείαν λογικὴν* exhibere cupit, Christianus, non modo cultum Leviticum pro necessario non habere Gal. IV. 9. V. 1. et deviationes sacerdotum Leviticorum vitare Matth. XVI, 6. Tit. I, 14. atque verum Dei cultum in ceremoniis externis solis non ponere, Eccl. XXIX. 13. Matth. XXIII. 26. sed profecto ab omni etiam impuritate alienissimus esse debeat, Eph. V, 3. 2 Cor. VII, 1. Neque etiam ad sola Hebræorum sacrificia versu primo respici satis probatum est, cum prædicata, quod Deo se offerre debeant hostiam vivam, sanctam, Deo placentem, & rationabilem ei cultum præstare, æque, opponantur Ethnicorum sacrificiis spuris et cultui irrationabili, ac Judæorum Sacris Leviticis: id quod submonuimus etiam sectione priori exegetica §. 34. *Illustrationes Exegeticae positivæ* merito a solo Judæorum sacra præstandi modo deducuntur, *oppositio* vero eodem jure etiam ad Ethnicorum spiritum Deum colendi rationem extenditur, et hinc *illustrationes exegeticae negativæ* rectissime etiam inde derivantur. Imo, si, quod fieri nequit, probari posset, versu primo ad sola Hebræorum respici sacra, nulla tamen datur hermenevtica regula, *que metaphoram vel allegoriam quamlibet per integrum contextum extendendam doceat*. Sanior potius Hermenevtica eam extensionem vetat, ubi restrictam magis, quam res, de qua agitur, et scopus Scriptoris sacri, requirit, exhibitura est sententiam. Id vero hoc loco fieri vel ex eo solo patet, quia generalior ea *τῆς αἰῶνος τῆς γῆς* idea superius adhibita etiam quidquid deviationis circa cultus Levitici usum, sacerdotes, et ceremonias externas, habetur, sed præterea plura quoque, sub se complectitur, quod vice inversa non valet. Facundior itaque est etiam generalior ea notio, adeoque, ex hac quoque ratione, hic

potius retinenda. Cum enim homines carni suæ relicti, et hujus cupiditatibus servientes, Deo semet in sacrificium offerre nolint, veræ religionis nullatenus sectantur principia, et, si vel maxime ista cognoscant, directricia tamen actionum suarum non admittunt, quin, voluntarie potius in oppositum veræ religioni quodcumque prolabantur vitæ genus 2 Pet. II, 12. sq. Quod cum veræ religionis principiis omnino repugnet, utique, qui hanc tota mente amplexi sunt, seculum amantibus, Deumque seculi potius, quam Dominum gloriæ, colentibus nulla se ratione conformes præstare debent. Eph. IV, 17. 20.

§. 9.

Cumque ex iis, quæ ad corrupti hujus seculi statum atque conditionem pertinent, et ex eodem ceu fonte profiliunt atque gignuntur, utique etiam sint hæreses, et pertinaciter defensi errores circa fidei fundamenta in Scriptura S. exposita Jud. v. 18. 19. Tit. I. 11. 2 Tim. IV, 1. sq. manifestissimum est, per præfens nostrum Pauli effatum, summo studio cavendum esse veræ & unicæ religionis genuinis sectatoribus, ne ullo hæresibus earumque defensoribus conformentur modo, 1 Tim. VI. 3. 4. 5. Enimvero quæ major esse potest ad hæreses et hæresiarchas conformatio, quam ubi, posthabitis sententiarum in fundamento fidei divortiis, unitas religionis cum ipsis quæritur, atque quoad externa eadem induenda intenditur religionis species cum iis, quos veræ fidei fundamenta adulterasse est in confesso. Atque ad eam externam ejusdem religionis speciem vitandam tanto magis dehortatio Paulina referenda est, circa quam versamur, quanto magis id significatui verbis *ὁμοιωσάντες ἑαυτοὺς* respondet. Eo namque etiam *externa* quæcumque conformatio exprimitur, ut videre est apud LEIGHIUM *Crit. Sacra*, ad hanc *vocem*, qui postquam alterum etiam, ubi hoc vocabulum haberet, adduxisset locum ex 1 Pet. I, 14. addit: *quemadmodum actores comædiarum efformant & fingunt gestus et verba ebriosorum vel adulterorum, cum illorum mores exhibent in theatro.* Externa ergo illa, quam dixi-

diximus, religionis unitas cum hæreticis per gravem, quam præ manibus habemus, Apostoli admonitionem, veræ religionis amicis omnino interdicitur. Nimirum etiam speciem mali sedulo vitandam jubent sacrae literæ 1 Theff. V, 22. 2 Tim. III, 5. Jer. II, 33. Imo ejusmodi unitati religionis externæ eousque contrariatur Scriptura S., ut, cum adhuc locum habet, tollendam jubeat, tantum abest, ut ubi sublata jam est, salvis hæreticorum erroribus, recuperandam permittat. 2 Cor. VI, 17. Apoc. XIX, 4. conf. 2 Tim. II, 21.

§. IO.

Quam ergo parum consentiat Paulinis de vera et unica religione adfertis studium illud unionis cum quibusvis hæreticis incundæ, quod Libro de *unica Religione vera* stylo germanico *Per-III. Dnus a LOEN* prodidit, id vel ex eo solo satis superque intelligitur, quod *Spho præcedenti* dictum est. Fugit et prohibet vera & unica religio omnem cum hæretica quacunque commixtionem eousque, ut Characterem Religionis veræ & unicæ constituere non dubitemus constantem atque perpetuum, quod facta a falsa religione separatione, in errorum, quibus hæc contaminatur, communionem reverti, & vel speciem ejus per adprobationem unionis externæ adoptare nequeat. Non enim veritas cum falso, nec cum luce tenebræ, uniri queunt 2 Cor. VI, 14. 15. 16. Pf. XCIV, 20. Nec quidquam perditissimam Viri Per-Illustris causam juvant mille contestationes, quod cuiusvis sua permittatur sententia, quales et in *Libro supra citato*, et in *Responsione S. R. D. BENNERO* opposita, abunde dedit, cum in eo, quod commendat, commercio, omnino falsarum, cum quibus vera commisceretur, religionum indueretur *Schema*, quod directe contrarium est divinis doctrinis, quæ, ab Apostolo prolata, modo consideravimus. Nec dici potest, de interna cujusvis ecclésiæ membri religione Apostolo sermonem esse, non de conjunctione externa. Externum enim omnino etiam hic respici adducta superius termini *συνηματιζουσαι* idea docet: nec vera religio externa permittere potest, quæ internis non respondeant, evan-

28  
27  
26  
25  
24  
23  
22  
21  
20  
19  
18  
17  
16  
15  
14

gelo Christi conformatis. Quare rectissime etiam S. R. STARCKIUS *Synopsi Exeg. N. T. ad b. l.* non ad interna modo, sed et ad externa, hic respectum haberi, monuit.

§. II.

*Progreditur* Apostolus, & *positivam* etiam status fidelium interni, veræ religioni consentientis, suppeditat descriptionem: ἀλλὰ μεταμορφῶσθε τὴν ἀνακαινίωσιν τῶν νοῦν ὑμῶν: quibus quidem verbis admodum significanter mentis *innovationem* cum *metamorphosi* beatissima conjungit. In his vero terminis, eorumque explicationibus Grammaticis, quamvis non deprehendantur difficultates, quæ, quo minus statim ad ipsas evolvendas ideas transeamus, impedire possint: pauca tamen aliqua observasse juvabit. Et *primo* quidem circa terminum μεταμορφῶσθε *duo* observanda veniunt *momenta*. Primo: *an* per imperativum, *an* vero per indicativum *dicatur*? Deinde: *an* reciproca, *an* vero passiva verbi significatio præferenda sit? Priori quidem ansam præbuit ERASMVVS, qui hunc terminum æque per indicativum, ac imperativum, explicari posse censuit. Vid. *Crit. Angl. ad b. l.* At vero quo minus cum ERASMO faciamus, impedit nexus hujus versus cum antecedenti et consequenti versu. Potius enim gravi in versu antecedenti obviæ adhortationi, & præcepto in versu subsequenti, imperativus respondet, quam indicativus. Et ipsi etiam versus præsentis nexui magis imperativus convenit quam indicativus. Namque si indicativus intelligi debeat initio versus vel pronomen ὑμῶν vel saltem particula aliqua connectendi videtur ponenda fuisse. Quorumcum neutrum locum habeat, imperativus, qui etiam antecedenti & subsequenti versui responderet, potior est sensus.

§. 12.

Quantum ad posteriorem questionem (§. II.) attinet, quæ superius in explicatione termini συζηματιζέσθε monuimus, de passiva vel reciproca significatione, hic facili negotio, quantum potest, adplicabuntur. Passivum habet textus sacer, adeoque passi-

passivam termini explicationem præferendam esse, vel ex eo solo satis liquet. Restrictam magis sententiam reddit interpretatio reciproca quam passiva, saltem cum ad immediatam termini significationem respicitur, quemadmodum §. 5. diximus, quare ex eadem ratione etiam hoc loco passivo significatui suffragamur. Res est in promptu. Cum dicitur: *Transformate vos*, actio enunciaturo renovatorum, et, si qua nuncupatur passio, ea tamen ad ipsum subjectum renovatum, tanquam ad causam efficientem refertur, quamvis gratiæ renovantis actus prævius, quo renovati ad operandum, gratiæque, quoad nimirum actus secundos & subordinate, cooperandum, apti redditi sunt, et in cujus relatione passive se habebant, non excludatur, sed supponatur, imo supponi debeat, cum homo in renovatione actus secundos elicere nequeat, nisi actum primum Deus largitus sit Phil. II. 12. 13. E contrario, cum dicitur: *Transformamini*, mutatio ipsa adpellatur, et *an* a renovatorum actione, *an* ab actione gratiæ dependeat, ipso termino, passive sumto, non dicitur. Quamvis enim passiva sumatur significatio atque passio hinc clarissime indigetetur, inde tamen inferri nondum potest, quod ad *actionem propriam* subjecti mutati respectus habendus non sit: sed in propriis quoque actibus renovatorum, gratiæ cooperantium, ratio aliqua status ipsorum, actibus respondentis, apprehenditur, qui quidem status ipsorum ad illos actus se refert, ut passio ad actionem. Quoniam itaque ex ipso termini significato nondum liquet, *an*, sumto significato passivo, sola passio, *an* actio etiam, hinc utrumque, quoad subjectum, de cujus mutatione sermo est, poni debeat? ad ipsam rei, de qua sermo est, conditionem atque naturam respiciendum, et ex ea, quod quærebatur, dijudicandum est. Utrumque vero hic locum habere, res, quæ objecti loco hic habetur, ipsa loquitur. Nimirum sermo est de renovatione Christianorum jam in statu renovationis existentium, adeoque de *renovationis continuatione & augmento*. Conf. Rom. I, 7. 8. 11. VI, 22. In renovatione vero etiam active se habere Christianos & gratiæ cooperari, ex  
Dog.

22  
27  
24  
25  
26  
27  
22  
21  
20  
19. 58  
18. 28  
17  
12/6  
13  
14

Dogmaticis constat : unde etiam activam *παράστασις* verbo activo *παράστασις* expressam versu primo Romanis commendaverat Apostolus. Indeque intelligitur neutiquam reprehendendos esse, qui cum B. LUTHERO reciproce vertunt: Transformate vos: *Verändert euch*, respicientes quippe ad operationem fidelium in statu renovationis, qui, subinde operantes opera novi hominis, merito dicuntur continuo se renovare. Cum tamen in renovatis etiam operetur continuo sua gratia Deus, & continuo vires bene agendi augeat, gratiam renovantem continuet, confirmet, obsignet, atque, in relatione ad actus gratiæ divinæ, renovati sese passive habeant, ita quidem, ut ratio augmenti gratiæ effectiva, qua actum primum, non in ipsis, sed in Deo, quærenda sit: atque significatio passiva utrumque sub se complectatur, & exprimat mutationem, relatam ad sui rationem, *tum* in subjecto, quod mutatur, *tum* in alio, hic in Deo, quærendam, enunciet; iis facile, qui passivam significationem præferunt, accedimus, ita tamen, ut reliquis contradicere nihil opus habeamus. Cum enim in reciproca significatione etiam, per naturam rei, supponatur gratiæ renovantis divinæ actus, & supponi debeat: inutile omnino futurum esset, si quis de verbo lites movere vellet et controversias, cum in re ipsa maneat consensus. Quod hic adducere voluimus, ut etiam ex his pateat, sensum Apostoli ubique esse planum facilem atque perspicuum.

§. 13.

*Secundo* circa vocem *vous* observamus, non unam alteramve mentis facultatem hic eo termino significari (cujus cæteroquin exempla suppeditabunt STOCKIUS *l. c.* et LEIGHIUS *l. c.* ad hanc *vocem*), sed omnes animæ facultates intelligendas esse, quemadmodum ipse quoque STOCKIUS *l. c.* notavit. Idem quoque jam quondam VALLA, ERASMUS, atque ZEGERUS, tenuerunt, ob eandemque rationem per *mentem* potius, quam per *sensum*, transponere voluerunt. Interim, quemadmodum etiam habet versio *latina*, per *sensum* transtulit B. LUTHERUS, explicavit tamen comma præfens dicti nostri de *tota totius mentis re-*

*nova.*

novatione. Conf. Tom. Alt. IX. p. 1271. nec aliter potuit, cum sensuum appetituumque sensitivorum renovatio omnino nulla sit, integram mentem si non impleat renovationis gratia. Synecdochen vero cum huic termino hoc loco adhaerere cum GROTIUS arbitratur STOCKIUS, qui proprie ea voce denotari censet intellectum; parum referre putamus, an recte an minus recte factum sit. Crediderimus enim, probari posse, aequè intellectum ac ipsam animam, proprie per illum terminum denotari, et accidisse alias etiam Cel. STOCKIO, quod plures nimio saepissime constituerit significatus improprios, et eos quoque qui proprii recte haberi poterant. Magis notandum est, quod, cum renovatio mentis nuncupatur, totius hominis, quoad omnes ipsius vires considerati, renovatio intelligatur. Totus enim homo jam regeneratus et justificatus subjectum renovationis est. 1 Theff. V, 23. Col III, 10. Eph. IV, 22. Quod et ipsum hoc loco per terminum μεταμορφωσις indigitari arbitramur, cum iste imperativus ad tota, quibus admonitio Apostoli datur, individua spectet. Nominatur autem speciatim mentis renovatio, quia anima, et quoad omnes quidem facultates suas spectata, est primum renovationis subjectum. Quod si itaque synecdochen partis pro toto hic eo respectu locum habere dicatur, quod, anima nominata, totus homo designetur, et renovationis etiam subjectum, quamvis secundarium, ipsum corpus, non excludatur, conf. Rom. VI, 12. 13. 19; non refragabimur.

S. 14.

Præterea vero textus noster non obscure docet renovationis naturam atque internam constitutionem, quæ transformationem non tamen ipsius substantiæ, sed status interni, mutatione, facultatumque et virium mentis sanctificatione, factam, infert, atque intellectus lumen, voluntatis ad bonum spirituale adpetitum, affectuumque ad idem bonum spirituale motum atque nisum, in homine regenerato et justificato ponit, et corporis membra sanctitati animæ conformiter in exercitio virtutis dirigenda requirit.

C

To-

Totus nimirum homo innovatur, ut prorsus diversis post regenerationem et renovationem gaudeat affectionibus, motibus, operationibus, atque virtutibus, quam in statu peccati ante regenerationem: non tamen quoad substantiam mutatur, sed quoad accidentia, facultatum determinationes, atque motus, quemadmodum ex articulo de regeneratione et renovatione abunde, constat Eademque transformationis accidentalis idea huic termino etiam in Scriptura S. tribuitur 2 Cor. III. 18. ut eundem significatum ex profanis scriptoribus vindicare vel repetere nihil opus sit, quos tamen excitatos legere possis apud GROTIUM. Vid. *Crit. Angl. Tom. IV. ad h. l.* Ea vero ipsa transformatio accidentalis, per *metamorphosin* a Paulo descriptam, atque *ad renovationem relata*, egregie exprimitur atque maxime emphatice.

§. 15.

Dico ad renovationem Apostolum referre eam, quam nuncupat, metamorphosin. Ita enim grammaticus verborum nexus requirit, qui *modum transformationis*, per renovationem esse docet. *Conf. STOCKIUS Lit. Græc. p. 461. §. 241. 1.* imo si, *causam* etiam, vel *rationem* metamorphoseos hujus *in renovatione esse*, in huius verborum nexu, statuatur, res omnino recte se habet, modo renovatio *activa* intelligatur, quæ omnino ejus transformationis, quæ renovationem passivam constituit, est *principium* sive *ratio* sive *causa*. Atque huic sententiæ omnino conveniret passivum *μεταμορφῶσθε*, ut sententia sit: transformemini per renovationem activam mentis vestrae, sive: *ne resistatis, per conformationem vestram ad præsens seculum, ad desideria seculi*, gratiæ divinæ, per renovationem activam mentes vestras transformaturæ, transformanti. In altera vero sententia, sc. si, renovationem passivam intelligens, *modum transformationis* explicari dicas, eandem rem uterque terminus transformationis et renovationis, sed diversis descriptam affectionibus, hinc sine tautologia, designat sc. *renovationem passivam*, ita tamen, ut alter terminus alterum declaret. Non alia exigitur metamorphosis, quam quæ per re-  
ne-

novationem passivam ponitur, et non alia nuncupatur *ἀνακαίωσις*, quam quæ mentis transformationem, quoad facultatum determinationes, ponit, cum quævis alia, quæ aliam non facit mentis indolem, omnino spuria sit atque ficta. Utramque tamen sententiam recte conjungi natura renovationis docet, et Scripturæ foecunditas permittit: imo in passiva sententia, quæ ad *modum* respicit, activa renovatio omnino præsupponitur, tantum abest, ut excludi ea possit. Utramque etiam sententiam secundum versionem B. LUTHERI et secundum expositionem BALDUINI, plurimorumque interpretum recte conjungi, eorum comparatio docet. Versio latina transtulit quidem per *in*: in *novitate sensus*, ut ad priorem significatum retulisse videatur, sed nihil opus est nodos in scirpo quærere, cum, eam quoque significationem admitti posse, jam dixerimus, et utramque adeo connexam esse sententiam profelli simus, ut una posita altera ponenda sit. Caeterum nec *novitatis* terminus, quo vulgata utitur nos magnopere movet. Quamvis enim, rectius *innovationem, renovationem*, poni arbitremur; *innovatione* tamen *posita* statim ponitur *novitas*: ut taceamus, quod supra jam monuimus, omnino, pro conditione eorum, quibus scribebat Apostolus, jam regentorum et renovatorum Christianorum, Rom. I, 7, hic etiam ad statum renovationis ejusque continuationem et augmentum, quo indies magis renovantur, magis transformantur, respici debere: cui quidem sententiæ quævis earum, quas adduximus, explicationum accommodata est,

§. 16.

Iterum circa termini *μεταμορφώσεως* considerationem respicit S. R. OEDERUS ad sacerdotum vestes apud Hebræos. Postquam enim, quæ supra citavimus, protulit §. 2, addit §. 3. *ita* (sc. adhibitis iis, quæ §. 2. dixerat, a nobis supra adductis) *paulo pressus intelligetur, cur schematis et metamorphoseos vocabula hic legantur: nam sacerdotibus opus erat vestem sacram sumere, quoties ad sacra accessuri erant, eamque subinde novam, saltem probe mundatam.*

C 2

Hoc

*Hoc a spiritualibus sacerdotibus non postulat Deus.* Profecto, fatemur, non satis perspicuum nobis viderur, quid hæc ista sibi velint. Num ea metamorphosis in eo ponitur, quod ejusmodi a spiritualibus sacerdotibus non postulet Deus? Nimis et coacte istud hic adplicari nobis videretur, et nimis frigide, quod sensus hujus dicti perfectioni nimium quantum detraheret. Quodsi vero eo respicit Vir præclarus, quod metamorphosis in sacerdotibus Leviticis vel plane nulla vel externa quoad vestem tantum modo locum invenerit, spiritualium Sacerdotum debeat esse interna et totalis; sententia ea ferri utique potest, sed nihil magis, imò minus etiam, infert, quam si, ad solam renovationis naturam habito respectu, ea metamorphoseos conditio declaratur. Ut ea ex Levitico cultu desumpta declaratio hujus termini necessaria nullo modo videatur, cum ex ipso termini significato, et rei, de qua sermo est, natura, sufficientissimus habeatur sensus, secundum ea, quæ superius jam circa termini *συνεστασις* contemplationem protulimus. Imo si respiciendum necessario esset, in illustrando textu, ad ea, quæ *negative* comparari possunt, quæque non postulat Deus: quantus tandem oriretur comparandorum et negandorum campus? quem nec dicendo nec declarando nec illustrando emetiri unquam possis.

§. 17.

Nec ERASMI circa terminum *ἀνανήσιος* observatio nobis probatur, cum ea voce *alludi* putat ad *reprobam mentem*, in quam traditi ante conversionem suam fuissent Romani. Traditio enim in mentem reprobam, cum supremum peccatorum gradum dicat, plura involvere nobis censetur, quam ut omnibus in genere non conversis tribui queat. Nec probari potest, eos, quibus Apostolus scribebat, ejus jam fuisse conditionis, ut pro traditis in mentem reprobam habendi fuerint ante sui conversionem. Tutius ergo longe in planiori subsistimus via, sentientes, ad veteris hominis conditionem, sat vivide Rom. VII. 14. sq. VI. 6. sq.

sq. depictam, respicere Apostolum, quem quippe in renovatione continuo atque indies magis magisque deponunt renovati.

§. 18.

Eadem vero, quam Apostolus commendat, metamorphosis, quemadmodum liberationem ab erroribus, circa ea, quæ verbum divinum exhibet, et fundamenta fidei tangunt, atque a pertinacia in iisdem persistendi, omnino involvit, ita cum eadem hæreses consistere nullatenus possunt. Atque, ut voluntatem omnino sanctam, Deoque dicatam, et affectus sanctificatos, requirit, ita nullatenus ullam cum hæreticis commixtionem, imo nec speciem societatis, tolerare potest. Cum itaque externa cum hæreticis unio, permixta cuivis in fundamentalibus sentiendi libertate, eam societatis speciem, imo ipsam societatem, evidentissime ponat, et in ipsa illa insuper habeantur, quæ adeo graviter fidei fundamentum constituit in Scriptura S. Benignissimum Numen; cum illa, ab Apostolo exposita, mentis transformatione nullo modo consistere ejusmodi externa unio potest, qualem *Per-III.* Dnus a LOEN commendat.

§. 19.

Atque hoc magis etiam patefcet, cum ponderaverimus a Paulo additum, vel *finem*, ut LUTHERVS T. IX. *Altenb.* pag. 1033. b. 1271. a. et BALDVINVS *Comment. in Ep. Paul. ad h. l.* habent, vel *effectum*, vel *consequens* quoque, εἰς τὸ δοκιμάζειν ἑμᾶς τί τὸ θελημα τῆς θεῆς τὸ ἀγαθὸν καὶ εὐάρεστον καὶ τέλειον. Verba Apostoli utique plana sunt, atque exhibent explorationem voluntatis divinæ, renovationis *vel finem*, *vel effectum*, *vel consequens*. Quodcunque enim ex his posueris, imo si triplicem significatum præpositionis (conf. STOCKII *Liter. Græcus* p. 484. §. 275. et *Interpr. Græc. Cap. V.* 183. &c.) conjunxeris, recte dictum putaverimus. Est ea *δοκιμασία finis* renovationis, quem omnino renovans gratia intendit, est *effe-*

9.  
28  
27  
26  
25  
24  
23  
22  
21  
20  
19  
18  
17  
16  
15  
14

Et, quoniam vires supernaturales in regeneratione et renovatione acceptæ eam *δοκιμασίαν* producant, est denique *consecutio*, cum non sit, nec debeat esse, renovatus, viribus sanctificationis ornatus, fidelis *ἀργός καὶ ἀκαρπὸς καθιδιώδης εἰς τὴν τῆς κυρίας Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐπίγνωσιν*, 2 Pet. I, 8. sed ad *δοκιμασίαν* voluntatis divinæ progredi, atque, si ficta non sit renovatio, omnino ad promittitudinem in exploranda Dei voluntate, ejusque actuali & promptam explorationem progrediatur. Ea cum utique recte se habeant, non improbanda videtur CAMERONIS sententia, quando per *ἀνακαίνωσιν* habitum, per τὸ *δοκιμαζέω* vero *ἔργον* exprimi censet. *Conf. Crit. Angl. T. IV. ad h. l.*

## §. 20.

Ferendum etiam et facile admittendum est, in explicatione hujus *δοκιμασίας* respici ad *officium sacerdotum*, quo ad exploranda, & summa cura perquirenda animalia et sacrificia tenebantur, quemadmodum placuit S. Vener. OEDERO *l. c.* et GROTIIO quoque *l. c.* qui etiam cum *mente transformanda*, transformata, *caput & iecur sacrificiorum*, primo loco altari imponendum confert, atque deinde etiam *lotiones* in comparationem adducit. Abundare interpretem ejusmodi meditationibus facile permittitur, cum per *modum illustrationis* ea *δοκιμασία* possit omnino cum *quavis* curatori, et gravi indagatione, conferri, si modo illustratione qualicunque sensus non redditur restrictus, maxime cum de illustratione exegetica *positiva* agitur. Ad *sensum vero ipsum* verborum Pauli ista, a S. R. OEDERO et GROTIIO allata, referri, nulla urget, necessitas, cum, quod inde derivandum creditur reale, jam per ipsos proprios terminorum significatus habeatur, et ex his oriatur sensus planissimus et manifestissimus, ut, pro eo eruendo, nihil opus sit recursum ad Levitici cultus considerationem.

## §. 21.

§. 21.

Voluntas vero illa Domini, quæ exploranda est, five objective, ut GROTIUS, sententiam ex 1 Theff. IV, 3. declarans, arbitratur, five *subjective* consideretur, nihil refert, nec quidquam in sententia mutat. Potius utramque considerationem hic bene posse conjungi arbitramur. Non enim est alia subjectiva Dei voluntas. et interna, atque in revelatione, Scriptura Sacra, exprimitur. Voluntatem arcanam Deo tribuere revelatæ oppositam, dudum, cum reliquis Calvinianorum erroribus, rejecerunt Nostres. Voluntas vero Dei objective spectata, seu ipsum objectum a Deo adprobatum, pariter ea prædicata recipit, quæ a Paulo hic adhibentur.

§. 22.

Dicitur autem ab Apostolo illa voluntas, *θέλημα αγαθόν, ενάρετον, και τέλειον*. Plurima sunt, quæ, in re per se non difficili, hic afferunt interpretes meditata. Multus est GROTIUS in adplicandis sacrificiorum prædicatis, quod et *bona* illa dicta sint, & *grata*, & *perfecta*. Et ex iis, quæ in præcedentibus ex ejus mente retulimus, facile videre est, tum quid eundem commoverit, tum quid de ea explicatione habendum nobis videatur. Securus de cætero is videtur AVGVSTINVM, qui prædicata tria in verbis Apostoli vltima refert, omnino ad sacrificium, cujus in præcedenti versu primo mentio facta est, *Conf. de Civitate Dei*, 10. et *Epist.* 86. Mirum profecto videtur & ipsi ERASMO illam relationem, quam AVGVSTINVS sequitur, non omnino alienam censeri, ex duplici fundamento, quamvis *neutrum* rem pro ista sententia decidat. *Primo* articulum τὸ, repetitum ante epitheta, ambiguitatem parere putat, ut ad *θέλημα* non referantur necessario, sed & ad comma præcedens trahi possint. *Secundo* is, quod a GROTIO circa tria epitheta factum observavimus, circa prædicatum τέλειον censet, in eodemque CLARIVM eatenus etiam habet consentientem, ut statuat *tacite per eundem terminum*

9.  
28  
27  
26  
25  
24  
23  
22  
21  
20  
19  
18  
17  
16  
15  
14

*minum argui Legalium imperfectionem.* Ista vero, ordine gram-  
 matico ea epitheta ad comma præcedens referenda esse, non-  
 dum evincunt. Quemadmodum enim nulla adparet, exrepeti-  
 to articulo τὸ, ambiguitatis ratio, cum omnino emphatica de-  
 clarationis gratia adjectus sit, ad indicandum in *sola* Dei volun-  
 tate *verum bonum acceptum & perfectum* haberi: ita nec stabile ar-  
 gumentum inde trahi potest, quod sacrificiis perfectio etiam  
 tribuatur, quæ hic ad sacrificia, de quibus versu præcedenti  
 dictum est, majori jure adplicetur. Ea enim omnia, ut in se  
 satis bona, recta, et accommodanda sint, nihil quidquam tamen  
 inserviunt, grammaticæ relationi saltu constituendæ, quum  
 proxima connexionione recte omnia cohaereant. Quod unicum  
 etiam sufficit, ad combinationem, quam secutus est AVGVSTI-  
 NVS, repudiandam. Idem ERASMVVS deinde, concepta primo  
 ex articulo τὸ ambiguitate, laborat in evincendis, ut videtur,  
 repetitionis rationibus. *Distingui voluntatem a voluntate* docet,  
 voluntatem quidem *Dei a nostra*, quæ non bona, grata, perfe-  
 ctaque sit, sed illi soli istæ competant affectiones: deinde etiam  
 vult, *voluntatem Dei a voluntate Dei* distingui, eam quippe, quæ in  
 Vet. Test. circa sacrificia occupata fuerat & cultum Leviticum,  
 ab ea, quæ cultum rationabilem Christianorum in N. Testamen-  
 to dirigit, quarum hæc illam perfectione superet. Eodem  
 etiam tendit S. R. Dnus OEDERVS l. c. scribens: *Denique jam*  
 (sc. ex comparatione cultus Levitici in explicatione hujus ver-  
 sus, ut ipsi videbatur, necessaria) *patet ratio, cur epitheton τῆς εὐ-  
 voluntati divinæ additum sit.* Nempe *lex cum sacrificiis omnibus*  
*umbra fuit, at voluntas divina, prout de salute nostra in N. T. pla-*  
*ne aperta est, vitam habet & plenitudinem.* Ista vera omnia, quam-  
 vis non culpanda fiat, maxime si perfectionis ea comparatio  
 rectos teneat limites, jam quondam a M. BASILIO recte defi-  
 nitos, citantibus *Crit. Angl. Tom. IV. ad h. l. sc. ut perfecta omni-*  
*no etiam fuerit voluntas Dei circa cultum Leviticum pro illa Veteris*  
*Testamenti conditione, ea vero, si, novi sæderis stante felici seculo, adhuc*  
*voluntas Dei sumatur, non sit perfecta, prouti CLARIVS ad eundem*  
 M.

M. BASILIVM provocat: *artem* tamen cuncta magis sapiunt quam styli Apostolici simplicitatem in præsentī loco.

§. 23.

Sed nondum satis est Criticorum crucis. Alii in quibus VATABLVS & AMBROSIVS tres adjectiones nec ad voluntatis declarationem volunt additas, nec tamen ad sacrificia, præcedenti versu descripta, per saltum trahunt, sed ad totum præcedentem sensum: *si* Deo sacrificia vos constituitis, *si* non similes estis hominibus seculi, *si* transformamini per renovationem mentis, *si* exploratis voluntatem Domini, *tum* omnino bonum, *gratum*, *perfectumque* præstatis. Quid inde? Nonne ea tota manet sententia cum ad voluntatem Dei adjecta referuntur prædicata? Nonne evidens est, eum, qui, non qua theoriam solum, sed qua praxin quoque explorat, quæ sit voluntas Dei bona, grata & perfecta, bonum, gratum perfectumque sectari? Nihil ergo artificii opus est. Sequimur planissimum ordinem. Deo constituere semet sacrificium gratum, non conformari indoli seculi, transformari subinde renovantis gratiæ virtute, explorare voluntatem Domini, bonam illam, gratamque et perfectam, verbo revelato conformem, per infinitam Dei misericordiam, ejusque toties, tamque variis modis, demonstratum exercitium, jubentur, & ad illud omne admonentur Christiani. Deo constituere semet in sacrificium gratum non alio modo, quam per regenerationis & renovationis gratiam, fieri potest, per quam quippe a cupiditatibus seculi abducimur, & in novum transformamur hominem, aptique reddimur ad explorandum, quid voluntati divinæ bonæ, gratæ, perfectæque, conforme sit. Ibi nulla difficultas, nodus nullus. In illustranda tamen ea sententia probe adhiberi possunt interpretum meditata. Namque Christianorum, Deo sacrificium sese sistentium, status utique cum puritate, et perfectione sacrificiorum comparari, indeque illustrari potest, atque id quidem eo magis, quo magis illud metaphoræ, *vers. I.* inde desumptæ, respondet. Et qui regenera-

D

tio-

9.  
28  
27  
26  
25  
24  
23  
22  
21  
20  
19  
18  
17  
16  
15  
14

tionis atque renovationis gratia ad explorandum voluntatem De-  
uitur, is utique, quæ bona, grata, atque perfecta sunt, præ-  
stat. Ita differentia interpretum atque criticorum ad eundem  
tandem redit scopum finemque.

§. 24.

Eam vero voluntatem divinam bonam, gratam, perfectamque  
si quis solam *legalem* crederet, sibi & aliis persuadere vellet,  
is longissime a scopo aberraturus esset. Quamvis enim boni  
generalis idea etiam ad legem applicanda sit, Rom. VII, 12. at-  
que ea ipsa, quæ lex præcipit, non possint non *evangelica* Deo esse,  
& lex etiam omnem perfectionem abs hominibus requirat; imo  
lex tanto minus hic excludi possit, quanto magis ex dogmaticis  
constat, quod ea sit maneatque renovatorum in dirigendis bonis  
operibus suis regula atque norma, secundum quam, quid agen-  
dum, quid omittendum sit, omnino dijudicare & explorare te-  
nentur, Rom. III, 31; eam tamen *solum* hic poni posse, tan-  
tum abest, ut maxime etiam Evangelium, in eademque revela-  
ta voluntas divina, intelligi debeat. Deus enim benignissimus,  
hominibus, qui, per lapsum miserimi, legem divinam imple-  
re non poterant, pro infinito erga lapsum genus humanum  
amore, dedit Redemptorem, fide adprehendendum, fidem ipsam  
ipse, per verbum & baptismum, in regeneratione producit, &  
vires sancte vivendi, fideique fructus præstandi, in renovatione  
suppeditat, fidemque mediis gratiæ confirmat, roborat, & san-  
ctificationem gratiosissime in renovatis subinde auget. Et in  
eo demum gratiæ ordine homines, quod Deo per Chri-  
stum placet, præstare queunt. Eam vero benevolam suam vo-  
luntatem, eum gratiæ ordinem, verbo Evangelii exposuit. Ut  
itaque, qui vera in Christum fide Evangelio conformi actiones  
suas ad legis normam dirigunt, voluntatem Dei bonam, gratam  
perfectamque, sectentur, & per gratiæ virtutem explorare queant,  
quænam sit voluntas divina bona, grata, & perfecta, & quænam sint  
opera Deo vere placentia, quid voluntati divinæ convenienter agen-  
dum-

dum vel omittendum sit, quid legi divinæ ita respondeat, ut simul principiis Evangelii nitatur, & a gratia per Christum obtenta proficiatur, ex vera & salvifica fide proveniens. Illi enim soli homines, qui regeniti, fide in Christum justificati, & viribus sancte vivendi in renovatione ornati sunt, illi, inquam, explorare demum atque præstare, per gratiæ virtutem, possunt, quod bonum, gratum, perfectumque dici potest, quia ex fide proficitur, & per vires gratiæ, in regeneratione & renovatione concessas, perficitur, hinc Deo gratum acceptumque est, non ex propria agentium dignitate, sed in Christo, Phil. III, 8. 9. sq. I, 10. 11. Bona ergo & grata Dei voluntas, eademque perfecta, tum demum habetur, cum per gratiam Evangelii instructi legi divinæ actiones nostras conformandas quærimus. In eademque tenenda & observanda perfectio habebitur, cum per gratiam divinam ascendimus ad eam fidem & cognitionem Domini nostri Jesu Christi, quam graviter adeo atque suaviter simul describit Apostolus Eph. IV, 13. quamque v. 14. expresse eo refert, ut ne cuivis in *doctrinalibus* vento vela demus, aut ad instar arundinis agitemur ac circumferamur, hominum astutis ac protervis seductionibus succumbentes. Is autem cum illo veritatis studio amorem demum & notanter connectit, ut *veritatem* sectemur in amore & *crescamus* in omnibus, *et*. Quæ cum ita sint, negari nequit, longissime veritatis transilire tramitem, qui ad sola practica, eademque *nude legalia*, trahere hæc Apostoli verba vult. Evangelio dignam gerere vitam Christianis incumbit, Phil. I, 27. & vocationi suæ, quæ certe per Evangelium facta est, conformiter moderari actiones, Eph. IV, 1. Col. I, 10. Actiones, inquam, liberas, quibus lex norma manet, vires autem, ex quibus perficiuntur, ex Evangelio sunt & ex gratia, ex quibus diversa etiam ab iis, quæ lege suppeditantur, accipiuntur ad agendum vires, motiva, incitamenta, ductus, motus, et valor quoque diversissimus. Conf. Luth. T. Alt. IX. p. 192. a.

§. 25.

Atque his evolutis iterum opposita sunt, quae a *Per-Illustrē Dno a LOEN* docentur, cum, omnia in amorem resolvi, ad legem redire omnia, praeter legem nihil docuisse Christum, perhibet, & in his, quae fidem spectant, fere nullibi versatur, ipsam vero ad fidem maxime necessariam cognitionem negligit, & instituentiam explorationem prohibet, Libro saepius citato P. I. C. I. §. 26-32. II, 24. alibi.

§. 26.

Ex dictis vero patescit, quod *σωτηρία* ea, de qua loquitur Apostolus, non instituenda sit ad solum legis praescriptum, sed quod maxime evangelium, non neglecta tamen lege divina actionum liberarum norma, comparandum sit renovatis, atque sic institui debeat exploratio, quomodo agendum sit, ut Dei voluntati bonae, gratiae atque perfectae conformis sit omnis renovatorum status. Atque hoc tanto magis, cum non exigua pars officiorum Christianorum ad servandam & defendendam Evangelii veritatem, & conservandam firmandamque fidem, atque augendam salutarem, quae fidem ingreditur, cognitionem, referenda sit, quemadmodum ex principiis Theologiae Moralis abunde patet.

§. 27.

Imo, non modo, quod generaliter recte stabilitur, *practicum* iudicium minus rectum, minus certum, futurum esse, ni *theoretica*, quibus innititur illud, *recta* sint, hic utique adplicandum venit, sed etiam sunt, quae practica renovatis tenenda sunt, quae ex omni asse a vera theoria pendent. *Cogitabimus* integrum, quem Redemptori debemus, cultum: num vero putabis eum cum erroribus fundamentalibus circa doctrinam de Redemptore revelatam consistere posse? Aestimabimus officia pro augenda salutari cognitione: num ea, ni veritatem revelatam sectemur, eidemque unice obtemperemus, locum invenient? Pensitabimus quo-

quotidianam in explorando statu fidei diligentiam : num quidquam hic præstare poteris , nisi , quæ vera sit fides , qua vera niti debeat theoria , recte , & secundum solam Scripturæ amussim , exploratum habeas ? Reputabimus motiva actionum suscipiendarum ex gratia , redemptione , actibus , principiis , & mediis gratiæ desumenda : quomodo vel tantillum hic recte sese habebit , ni vera ex verbo divino , eodemque Evangelii , supponatur cognitio ? Ut infinite multa taceamus alia . Ex quibus omnibus abunde patet , δοκιμασίαν practicam esse imaginariam , non instituta δοκιμασία in theoreticis , iisque non solis Legalibus , sed Evangelicis etiam veritatibus ,

§. 28.

Eadem demonstrata veritas ex Apostoli verbis brevissime etiam sic evincitur . Finis , effectus , vel consecutio , renovationis est , ut exploremus voluntatem Dei . Enimvero vult Deus , ut homo veritates cognoscat ad fidem et salutem necessarias , in Scriptura S. revelatas Eph. IV. 13. 14. 2 Cor. IV. 6. vult etiam Deus , ut his veritatibus respondentem homo vitam agat Tit. III. 14. Nunc nullo modo Paulus explorationem ad unam alteramque voluntatis divinæ classem solam restringit . Ergo ad utramque per ipsam Pauli sententiam sese extendit eadem . Prioris classis voluntas Dei ad theoriam homini necessariam , posterioris classis ad praxin hominibus tenendam pertinet . Exploratio ergo , qua voluntatem divinam homines explorare debent renovati , ad theoriam æque ac ad practica est adhibenda . Praxis porro Christianorum non modo legi conformis esse debet , sed & ἀξίως τῶν εὐαγγελίων τῶν Χριστῶν πολιτεύεσθαι Christianos decet 1 Tim. I. 8. Phil. I, 27. ergo Evangelii et Legis omnino ratio habenda est .

§. 29.

Fit autem ea exploratio quoad theoriam , cum doctrinæ propositæ ad verbum revelatum examinantur , earundemque cum hoc convenientia vel disconvenientia eruitur , ideæ rectæ et sufficientes

29  
27  
26  
25  
24  
23  
22  
21  
20  
19. 28  
18. 27  
17  
16  
15  
14

ex Scriptura eliciuntur, probationes, argumenta, illustrationes, usus doctrinarum, ex sacro fonte percipiuntur atque imbibuntur Act. XVII. 11. Quod cum, nisi intellecto Scripturæ sensu, fieri nequeat, omnino Scripturæ sensum intelligat oportet, qui eam explorationem rite confecturus est. 2 Tim. II, 2. Cumque Scriptura Scripturam declaret, atque, cum clariora loca explicuerunt minus clara, ex his denuo illorum ampliori et distinctiori conceptui magis accendatur lumen; non omnino ea exploratio, ut debebat, comparata est, cum aliquos solum Scripturæ locos solos, pro iis assumere voluerimus, quibus omnis Christianorum renovatorum cognitio debeat subsistere. Et multo minus hoc admitti potest imo cane peior et angue reputanda est sententia, cum ex illorum quoque locorum numero illa excluduntur dicta, quæ mysteriorum fidei summa exhibent capita. *Quoad practica* exploratio perficitur, cum distincte percepta principia revelata, quæ actionum liberarum conditionem, morumque integritatem, et, quam, pro Christianismi natura, indolem tenere debeant, exponunt, ad ipsas actiones obvias et ipsum quoque internum Christianorum statum æque ac ad externum recte adplicantur, ut, quid, ex quonam principio, quo fine, quibus motivis, quam rectitudine, quaque conscientie certitudine, agendum sit, ut voluntati divinæ vita conformetur a Christianis, recte intelligatur. 2 Cor. XIII. 5. Gal. VI, 4. Eph. V. 10. Phil. I, 10, 1 Thess. V, 21.

§. 30.

Quodsi vero, ut ex dictis habetur, *δοκιμασία* illa, quam Apostolus tradit, et renovationis effectum, consequens, et finem proponit, ad theoriæ non minus ac praxeos Christianæ explorationem extenditur, atque ad eam distinctis ideis opus est Christianis renovatis, certisque et indubiis cognoscendi principiis ex Sacra Scriptura, fidei fonte unico, haultis, eidemque ad amissim conformibus; ut frustra religionem veram et unicam prædicent, atque, sibi competere, aut a se proponi, sibi imaginentur, oportet, qui *distinctas ideas abesse iubent*, iisdemque *superfluis*

*frui fidem negant.* Hoc omnino non refragabitur prudens quisque, dari distinctæ cognitionis discrimen, atque pro diversitate officiorum, Christianis aliis aliisque competentium, ulterius in hoc quam in illo, progredi et se extendere debere distinctitatem Ebr. V, 12. sq. In iis tamen, quæ fundamenta Religionis constituunt primaria, quæque, si salus obtineri debet, ne ignorari quidem possunt, sufficiens distinctitas in omnibus religionis veræ affectis requiritur, eousque, ut, quid in his fidei capitibus falsum sit, quid verum, distinguere secundum Scripturam possint 1 Pet. III. 15. Non est nobis sermo de eo, quid in plurimis, qui Christianorum nomen profitentur, fiat, sed quid fieri, ex præscripto verbi revelati, debeat. Neque enim ab exemplis iudicium ferendum est, neque cum effectu quodam, in hac materia, ferri potest: cum multi sint Christianorum, quo utuntur, nomine indigni, voluntati divinæ se neutiquam conformantes: sint vero, quæ Dei est gratia, plurimi etiam, quibus minores multi, sibi solis sapientes, tribuunt ad *δοκιμασίαν* Christianam vires, quam quibus per Sp. Sancti virtutem vere instructi sunt. Sufficit nobis ergo, Scriptura duce, quæ christianos decent, æqua pensitare lance. *δοκιμασίαν* a renovatis flagitat Scriptura, ea vero sine distincta et certa cognitione principiorum fidei fundamentalium, certe primariorum, recte institui a nemine potest, ut ergo iis destitutos pro veræ religionis *genuinis* affectis habere non liceat: e contrario per se pateat, quo major futurus est quoad articulos fidei distinctæ cognitionis gradus, eo feliciores futuros esse in exploratione et dijudicatione veri et falsi, recti et erronei, voluntati revelatæ divinæ conformis et difformis, progressus.

§. 31.

Iisdem denuo contraria docet Per III. Dnus. *αλογον*, dum distinctis ideis nullo modo superstrui fidem expresse dicit, atque penitentiorem indagatiōem doctrinarum revelatarum omni conatu prohibet 1. c. P. I. C. I, §. 26. sq. II. §. 32. IV, 8. sq. alibi.

§. 32

## §. 32.

Locuti sumus de iis, quæ nec ignorari sine salutis dispendio possunt. Sunt fundamentalia alia, quæ ignorari, non negari, possunt. Hæretici et Maræologi eos tenere limites detrectarunt quovis tempore, et, nihil quidquam morati, quod Scripturam S. sibi habeant contrariam, ad negativam progressi sunt. Errorum vero falsitatem, Scriptura duce, cognoscimus, et accedens *δοκίμασία* Christianorum, quid voluntati revelatæ divinæ conforme sit, quid non, conficere debet. Nullumque omnino est dubium, quin Christianus, vera cognitione fundamentalium veritatum illarum, quæ *ignorari nequeunt*, eaque distincta, instructus, per illuminantem Sp. S. gratiam et virtutem verbi, quantopere a veritatibus illis *negativa* hæreticorum circa fundamentales doctrinas, quæ *negari* salva fide nequeunt, digrediat, intelligere, et, instituta attentiori verbi consideratione, explorare possit. Et ad hæc capita progredi etiam *δοκίμασίαν* Christianorum, non est, quod dubitemus. Certe, cum *negatio* hic omne periculi ferat punctum, a *negatione abstinentiam* abunde producet in quovis pio Christiano pia Scripturæ meditatio, doctrinarumque cum fide comparatio ad eandemque justa relatio. Cum autem hæreticorum cohors ad negationem apertissime progrediat, eandemque pertinaciter defendendam quærat, abhibitis et prolatis argumentis in se nullis & aliunde, quam, ex Scriptura S., haustis; quid intellectu facilius est, quam ut ab iis sit discedendum, ne eorum, in quibus versantur, participes reddamur errorum atque periculorum Apoc. XIII, 4. 2 Tim, II, 16. 17. 21.

## §. 33.

Neque etiam Christianos renovatos, ad *augmentum cognitionis* atque sapientiæ salutaris tendentes, decebit, in fundamentalibus primariis adeo nude subsistere velle, ut in fundamentalibus reliquis a sola negativa sibi cavere queant, ipsam vero affirmativam veram ad convictionem usque comprehendere nunquam sint

sint solliciti, sed ea ad augmentum cognitionis obligatio utique requirit, ut ad explorandum etiam in iis, quæ posterioris generis sunt, aptos sese reddant per virtutem gratiæ. Idque voluntatis divinæ perfectæ exploratio omnino involvit, Eph. IV, 13. Ebr. VI, 2. Col. I. 10. 2 Pet. II, 18.

§. 34.

Atque hæc iterum opposita sunt principiis novæ religionis a *Per. Ill. Dno a LOEN* commendatæ. Is enim omni studio explorationis negotium vult a Christianis remotum P. I. C. I. §. 31. C. IV. §. 2. 3. 8. sq. et quamvis mirum in modum fluctuantem hic experiatur animum, ut mox omnem explorationem, indagationem, scrutinium omne, contra Joh. V, 39. prohibeat, mox rationem dijudicantem mysteria fidei accersat, atque hinc ex oppositis partibus utrinque ultra limites versetur, & modo in excessu peccet, modo in defectu, eam tamen, pro neganda indagine altiori, nunquam non profert sententiam, quod Scriptura omnibus scripta non sit tota, quod, quæ non intelligas, pro Te scripta non sint, quæ scire debeas, Deus sit revelaturus, et alia, quæ dici non potest quantopere a pia exploratione sine aliena.

§. 35.

Specimen sapientiæ divinæ in Ecclesia visibili exhibitum hic negligendum non est, conspicuum in eo, quod Ministros Ecclesiæ constituit, verbi voluntatisque divinæ præcones atque interpretes, quorum opera ad ædificationem membrorum ecclesiæ tendere, atque firmandis in veritate credentium animis impendi debet, secundum dictum Pauli Eph. IV, 13. 2 Tim. III, 17. Quibus itaque occurrunt, quæ curatorem doctrinæ requirunt, quibus astutia hominum callidiora objicit ad seducendum consilia, quam ut iis rejiciendis, dubiisque

E

ique

28  
27  
26  
25  
24  
23  
22  
21  
20  
19  
18  
17  
16  
15  
14

que prorsus solvendis, sufficere sentiant vires, illi a Ministerio puriori capiant uberiorem doctrinae revelatae explicationem, ea quidem ratione, ut & ipsi investigare, secundum Dei verbum, non obliviscantur, quænam ei conformia sint, quæ minus, Act. XVII, 11. Ita Ministerii purioris labores singulorum in exploranda voluntate Dei juvabunt industriam Mal. II, 7. Quo evidentius vero est bonitatis Dei in Ecclesiam suam documentum, quod subinde conservat Ministerium Ecclesiasticum, in quo deprehenduntur, qui potentes sunt ad redarguendum & refutandum errores Tit. I, 9. verbumque veritatis rite secundum 2 Tim. II, 15: quantoque magis idem facit ad religionem puriorem conservandam Tit. I, 11.; tanto minus ferendi sunt, aut cum religionis unice veræ gloriatione consistere queunt, contra Ministerium Verbi insultus, ab iis, qui, propriam effingentes sibi religionem, aliis quoque obrudendam, quidquid ex distinctissimis revelationis oraculis sibi oppositum sentiunt ferre nequeunt.

§. 36.

Quam alienam ab his mentem gerat novæ illius unice Religionis Auctor *Per. III. Dn. a LOEN* id vero specialiter allegare nolumus, cum integer fere liber citandus esset. Maxime vero huc spectat, quod expresse a Ministerio animos alienos facere studet P. I. C. II. §. 37. sq. quod humanam solam concedit Ecclesiae Ministris, sibi divinam vindicat, vocationem P. I. C. IV. §. 19. quod tanquam litigiosos, & sine ratione controversias alentes, traducit Ministros Ecclesiae P. I. C. IV. §. 57 sq. & alia infinite multa.

§. 37.

Ea ergo *δουμαρία*, quam & fides, & in veritate incrementum, Christianis tantopere commendatum, requirit, quæque

que & ipsa mandata est, quae renovationis finis est, cuique  
 juvandae ministerium a Deo constitutum prodest, omnino  
 singulos, qui viribus eam praestandi divinitus donati sunt, Chri-  
 stianos decet, et veram religionem principium habet, ejusdem-  
 que intemeratae conservacioni maxime inservit, ut evidentis-  
 sime a vero discedat, qui eam prohibet, Religionem confingens,  
 quae explorationem eam fugere debeat.

§. 38.

Multo magis ea *δοκιμασία* decet Ecclesiae Ministros, qui-  
 bus quippe injungitur, ut recte fecent verbum, 2 Tim. II. 15.  
 quibusque hinc, ut illa, quae in Scriptura continentur, distin-  
 cte proponant, ex collatis inter se principiis revelatis conclu-  
 siones, consequentia recta, forment, atque haeresibus redarguen-  
 dis aequae ac veritatibus revelatis distincte proponendis, at-  
 que sufficienter probandis, omnem laborem impendant, adeo  
 manifesto demandatum est in Scriptura S, ut Scripturae et religio-  
 ni cuniculos faciat, qui ferre nequit justam in his positam mini-  
 strorum ecclesiae diligentiam Tit, I, 9. 10. 11. II, 8. 2 Tim. II,  
 24. sq. Mal, II, 7. Atque certissimum omnino malae causae in-  
 dicium prodit, qui eam laudatissimam ministrorum ecclesiae ope-  
 ram, quae in refellendis erroribus posita est, quovis modo ac-  
 cusat, in eandemque nullo non ausu invehitur, quod mirum in  
 modum praestandum credidit *Peri III. Dnus a LOEN* Libro *sa-  
 pius excitato.*

§. 39.

Stat vero firma sententia, quod ea *δοκιμασία* solis revelatio-  
 nis principiis innitatur. Ita quippe evidens hoc est, ut omnem  
 revelationis necessitatem negare, vel rationi subicere revelatio-  
 nem, vel prorsus oppositum verbis Scripturae sensum tribuendi  
 audaciam gerere, vel omnino sentiendi libertatem introducere  
 debeat, qui inficiaturus sit. Quidquid vero ex his dixeris,  
 E 2 id

9.  
23  
27  
24  
22  
25  
24  
22  
21  
20  
19  
18  
17  
16  
15  
14

id omnem religionem evertit, et dicto Paulino nostro prout contrariatur. Unde maxime omnium evidens est ea quorundam hallucinatio atque a recto tramite aberratio, qui non in unum alterumve ex his deviationibus incidunt, sed in omnes digrediuntur.

§. 40.

Hoc omnino usum venit *Per - Ill. Dno* a LOEN. Nullibi equidem is expressis verbis revelationis necessitatem negat, sed *primo tamen* totus in eo est, *Contempl. II. P. I.*, ut ostendat, *fundamenta* veræ et unicæ Religionis *etiam Ebnicis Philosophis* tribuenda esse. Quæ vero si illis etiam, et, ut loquitur, secundum naturam, tribuenda sunt: si dantur, quas appellat, *naturaliter Christiane mentes*, quo Senecam refert, quibus fidem, qualem implicitam dicit, in Redemptorem fuisse, et ad salutem sufficientem, dicendum sit: quid opus erit Revelatione? *Deinde*, quamvis plurimis locis penitus indagare in veritates prorsus prohibere videatur, mox tamen ægre fert, quod ratio abneganda sit, daß man auf die *Bereunigt Berzicht thun müsse*, atque ex maxime fundamentalibus articulis facit sententias, quæ rationi adversentur, prouti cum iis egit, quæ de *Trinitate*, de *Unione Personali*, de *Sacramentis*, in nostra docentur Ecclesia. Quid hoc est, quam rationi subijcere revelationem? Porro, cum vagam, indeterminatamque fidem, quæ omnino nulla est, sine ullis veris, determinatisque, fidei articulis, docet, quos tamen distincte Scriptura, cum ipso addito fundamenti nomine, exhibet, *1 Cor. III, 11. Eph. II, 20. 2 Tim. III, 15. 16. Ebr. VI, 2.*: cum clarissimos, de *Unione Personali* et *Idiomatum Communicatione*, locos mox non intelligere vult, mox sententiam illorum *veram Calvinianis* hypothesebus, partium studio ductus, attribuit: cum locis Scripturæ incredibilem rationem, pro firmandis et colorandis suis hypothesebus, abutitur: quid hoc aliud est, ut plura hic non attingam, quam Scripturæ dictis prorsus oppositum affingere sensum? Tandemque, cum omnis ejus labor eo tendat, ut,

NON

non obstantibus contradictionibus in dogmaticis et practicis, fiat sectarum cum vera religione unio: quid hoc aliud est, quam summam et intolerabilem sententiarum introducere licentiam? Quæ itaque adeo aperte Paulino effato contradicunt, ut magis contradicere nihil possit.

§. 41.

*Δοκμαστικά* ea Christianorum non utique, secundum religionis Veræ et Vnicæ, quam Scriptura S. docet, principia, subsistit aut completa habetur, in *generalibus quibusdam, cum de practicis sermo est*, neque terminatur in solis contemplationibus *formalium de virtutibus idearum*, neque speculativa aliqua *legis naturæ cum revelata convenientia* absolvitur. Prorsus diversa sunt, quæ a Paulo in dicto nostro docemur. Immutata per gratiam mens alias, quam homo naturalis, et ex gratiæ viribus provenientes actiones præstat, et in individuis actionibus se exhibet sapientia Christianorum, quam, duce Spiritu sancto, didicerunt. Quovis casu singulari demonstranda est ea, per renovationem effecta, animi transformatio, ut omnes et singulæ actiones a Spiritu Dei agitas prodant Christianorum mentes. Nec sufficit, generaliter *amorem* nuncupasse, præcepisse non præstitisse, exemplo Scribæ, qui probe callebat recitare legem, sensum ejus non capiebat, interrogans: quem pro proximo habere debeat? Ipsæ actiones individua, quomodo dirigendæ sint, ut amorem exhibeant, hoc omnino docendum erat, media, motiva, principia, impedimenta, eorumque remotiones, distincte doceri debebant: *et*. Differentia porro virtutum Christianarum, et, si quæ dantur, naturalium, docenda erat. Eaque differentia ex diversitate principiorum, mediorum, motivorum, finium, determinationum, distincte evolvenda erat, quemadmodum, duce Scriptura, ea differentia sine difficultate intelligitur. Spuriam profecto eam oportet esse Theologiam Moralem, quæ virtutes Christianorum ex sola metitur legis revelatæ et naturalis convenientia. Si enim nihil

9.  
22  
27  
26  
25  
24  
23  
22  
21  
20  
19  
18  
17  
16  
15  
14

nihil ulterius Christianorum virtutes habent, quam quidem ea cum lege naturæ convenientia complectitur: quid est, quod magis in Christianorum sanctitate habetur? Imo cum legem naturæ servare nequeamus: undenam, sub illa hypothese, vires, pro Christianorum custodia legis, habebuntur? Atque quænam erunt tandem ea, quæ Christianos Deo magis, quam homines naturales sibi relictos, gratos redditura sunt? Prorsus diversa docet Apostolus, dum perfectam voluntatem divinam, Lege et Evangelio expositam, pie explorandam, dum animi transformationem et innovationem, dum motiva ex gratia desumenda, dum hanc virtutum Christianarum causam, dum explorationem principis gratiæ innixam, requirit.

§. 42.


Ista vero omnia prorsus aliter sese habent in vera et unica Religione, quam *Per - Ill. Dnus a LOEN* prædicat. Generaliter fidem et amorem postulat. Si de *fide* quæras; *nec vera nec* ulla quidem ejus habetur, in ista religione, idea. Si in *amorem* inquiras; nullibi habetur sufficiens amoris, Christianos decentis, idea, et, quod nullo modo ferendum est, *amor*, qualem apud Ethnicos observatum putat, pro *Christiano* venditatur, differentia virtutum naturalium et Christianarum nullibi docetur, imo tollitur, atque motiva ex sola natura deducuntur, & amorem, qualem natura sibi relicta docet, *fideliū virtutem omnem jam complecti*, statuitur.

§. 43.

Inhærendum vero est piis Christianis, "et veris" Theologis, characteribus veræ et unicæ religionis, quos ipse docet Sacrorum Oraculorum divinus codex, iidemque illis sine ulla tenendi sunt contradictione aut adulteratione. Dabimus, Benignissimo Numine juvante, eosdem in proxima tractatione.

S. D. G.

VIRO



X 89 X



VIRO NOBILISSIMO, PRAECLARE DOCTO  
ATQVE ORNATISSIMO,  
DOMINO  
IOHANNI FRIDERICO CASIMIRO  
ROSENBERGERO,

PHIL. ET S. S. TH. CVLTORI EGREGIO  
RESPONDENTI STRENVO ET EXIMIO  
S. P. D.

P R A E S E S.

**T**riennium est, & quod excurrit, quo in Alma No-  
stra versatus, prælectionibusque academicis, &  
meis quoque, diligenter vsus, naturæ dona, a Benignis-  
simo Numine Tibi largissime concessa, studiosissime, va-  
riique generis Scientia perficere studuisti. Profectus,  
quos fecisti, egregios, non privatis modo speciminibus,  
sed publicis etiam, laudabiliter demonstraisti. Cujus in  
disputando promtitudinem aliquoties jam collaudaverunt,  
qui Respondentem Te auscultarunt, Auditores, eun-  
dem hodie ex Cathedra Theologica veritates divinitus  
revelatas defendentem cum voluptate sentiunt. Sic,  
quanta industria hauseris Scientiarum, maxime Sacra-  
tissimarum, principia, evictum reddis. Sic, quam, be-  
ne digerendo, quas imbibisti, doctrinas, in succum ver-  
tere & sanguinem noris, publice doces. Sic, expecta-  
tioni *Plurimum Reverendi Parentis Tui*, Verbi divini  
Ministri Fidissimi, *Vigilantissimique*, laudatissimo ardore  
satisfacere studes. Sic, Fautorum & Mecœnatum ani-  
mos


mos Tibi conciliare conaris. Sic meam quoque qualem-  
cunque excitas voluptatem, quam eo insigniorem præ-  
dico, quo magis *Plurimum Reverendi Parentis Tui* desi-  
deriis, quæ literis ad me datis humanissimis declarare pro  
benevolentia sua voluit, cuncta illa respondere intelligo.  
Gratulor itaque Tibi, *Vir Nobilissime*, specimen, quod  
hodie præstas. Gratulor *Indulgentissimo* & impensissi-  
me Te diligenti *Pl. Rev. Patri Tuo*, quem omnis generis  
felicitate beare Tibique & Tuis diutissime conservare  
Deus velit, speranda ex filii scientia gaudia. Gratulor  
etiam mihi Respondentem egregium strenuumque. Faxit  
cuncta dirigens Numen Providum Summe Benignum, ut,  
gratia Spir. Sancti duce, quam in hominum salutem Deus  
revelavit quamque Tu hodie defendis, veritatem subinde  
colens, quantum spiritualis felicitatis veris revelatæ re-  
ligionis affectis sperandum sit, Tuo experimento cogno-  
scas! Vale, res Tuas age feliciter, mihi que fave.

Dabam Rostochii d. xvii. Jan. A. S. R.

clbcccLV,











cl̄ōclxxvii; et Ioh. Creighton in commentario,  
 hic: *De Brief van den H. Apostel Iudas ontleedet en*  
 arlemi cl̄ōccxviii. Ex Pontificiis in eam com-  
 : Augustinus de Quiros, societatis Iesu, in libro  
 auorum cl̄ōcxxxviii secunda vice edito: Adamus  
 ulgo Sasbouth, cuius *expositio epistolae Iudae* in operi-  
 , Coloniae Agrippinae cl̄ōlxxxviii tertia vice  
 is, exstat. Theoduli, Itali, *commentarium in Iudae*  
 tum est bibliothecae Patrum, edit. Parisiis cl̄ōcix:  
 ardentii commentarius in eandem exscriptus est  
 ae Agrippinae cl̄ōcxcv. Henricus Lancelotus,  
 us, scripsit in epistolam Iudae *anatomiam Christiani*  
 ntwerpiae cl̄ōcxxxiiii: Franciscus Laurelotius  
 cxii *exegetin in epistolam Iudae theologicam, catholicam*  
 didit: Aegidius Radeus et ipse hoc in loco suum  
 m foras dedit. est autem recusus Geneuae cl̄ōxc-  
 ofius Ansbertus, vt vulgo, vel Autpertus, Bene-  
 lanationes in Iudae epistolam dedit Coloniae cl̄ōxxx-  
 olducius, Franciscanus, eam exposuit Parisiis cl̄ō-  
 Martinez Segunti cl̄ōcxxxviii, ac Raphael Maf-  
 nemadmodum alii volunt, Masseus, *explanationem*  
 ae suppeditavit Venetiis cl̄ōlxxvi. Inter Soci-  
 entarium in hanc epistolam conscripsit Ioh. Ludo-  
 enius, Baro Austriacus, qui in *bibliotheca vnita-*  
 poli (quod est fictum nomen) cl̄ōclvi edita,  
 in eadem reperitur etiam *fragmentum commentarii in*  
 , cuius auctor est Ionas Schlichtingius a Buko-

Iudae epistola. Offert se mihi et aliud praefatio-  
 um. Nuper enim, in locum placidissime defun-  
 atis Consulis KLVSMAINI, suffectus est vir Con-  
 BLECHEN. qui adhuc ita praeclare, vti de vni-  
 uersa

